

cum sua utraque natura recipiet, et Filium unum omnia sæcula antecessisse, et unum ex Scripturis fatebere.»

S. Irenæus lib. III, cont. her. a cap. 48 usque ad 22 probat multis testimoniis Scripturarum, unum et eundem esse Jesum Filium Mariæ, et Verbum Dei Patris. Athanasius in epist. ad Epict. cir. fin. : « De solo, inquit, Mariæ Filio scriptum est, Verbum caro factum est. Ex quibus ostenditur, ad reliquos Sanctos Verbum factum esse, prophetandi gratia, ex Maria autem ipsum Verbum, carne assumpta, hominem produisse. » Et infra : « Non quod Filium a Verbo segregemus, sed quia eundem hunc esse agnoscimus, per quem omnia facta sunt, et per quem nos liberati sumus. »

Gregorius Nazianzenus epist. I. ad Chelidon. : « Si quis, inquit, Virginem Mariam nequaquam Dei genitricem esse credit, is etiam a Deitate sit separatus. Si quis duos introducit filios, unum quidem ex Deo Patre, secundum autem ex matre, et non unum et eundem, adoptione filiali, quæ promissa est iis qui recte credunt, exciderit. Si quis non adorât crucifixum, anathema sit, ac Dei annumeretur interfectoribus. »

Basilius lib. IV, in Eunom. exponens illud : « Dominus creavit me : Capiendum igitur, inquit, verbum Genuit de Deo Filio : creavit vero de eo qui formam servi accepit. In omnibus autem istis non duos dicimus, Deum seorsum, et hominem seorsum (Unus enim erat) cogitatione ac mente cujuslibet naturam reputantes.

Damasceus lib. III, de Fid. c. 9. « Ipsius, inquit, Verbi hypostasis utriusque nature hypostasis existens, nullam insubstantentem esse permittit etc. »

Jam ex Latinis. S. Cyprianus lib. II. cont. Jud. cap. 8. : « Quod, inquit, cum a principio Filius Dei fuisset, generari haberet denno secundum carnem etc. » Et cap. 40. quod homo et Deus Christus ex utroque genere concretus, ut Mediator esse inter nos, et Patrem posset etc.

Hilarius lib. II, de Trinit. « Unus unigenitus Deus in corpusculi humani formam sanctæ Virginis utero insertus accrescit, quia omnia continet, et intra quem omnia sunt, humani partus lege profertur etc. »

Ambrosius lib. de Incarn. Dom. Sacram., cap. 5 : Cum Deus, inquit, semper esset æternus, Incarnationis Sacramenta suscepit, non divisus, sed unus, quia utrumque unus,

et unus in utroque, hoc est, vel divinitate, vel corpore : non enim alter ex Patre, alter ex Virgine, etc. »

Hieronymus in cap. 14. Matth. : « Quod, inquit, ascendit solus orare, non ad eum referas qui de quinque panibus quinque saturavit hominum millia, sed ad eum qui audita morte Joannis secessit in solitudinem, non quod personam Domini separemus, sed quod opera ejus inter Deum et hominem divisa sint. » Et in epist. de virginit. custod. ad Euseb. : « Dei Filius, inquit, pro nostra salute, hominis factus est filius; decem mensibus in utero ut nascatur expectat, et ille pugillo Mundum includens, præsepis continetur angustiis. »

Augustinus Enchir. cap. 35 : « Proinde, inquit, Christus Jesus Dei Filius est et Deus et homo : Deus quia Dei verbum ; homo autem quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis et caro. » Etc. 36 : « Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta ? Similia habet lib. XIII, Trinit. cap. 17, epist. 3. ad Velus. 402. ad Evod. ; et 120. cap. 4. ad Honorat., et alibi.

Denique B. Leo nihil frequentius repetit in omnibus suis Sermonibus et epistolis, sed præcipue epist. 97. ad Leonem Augustum cap. 1. ubi sic ait : « Anathematizet ergo Nestorius qui B. Virginem Mariam, non Dei, sed hominis tantummodo credidit genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret Deitatis. »

CAPUT VII.

Solvuntur argumenta adversariorum.

Superest argumenta solvere Nestorianorum, quæ ut plurimum sophistica sunt. Argumentum primum, Joan. II, Dominus ait : *Solvite templum hoc*, cum loqueretur de sua humanitate ; ergo Deus Christus, et homo Christus due personæ sunt. Nam non dixit, solvite me : et præterea non potest esse idem templum, et qui in templo habitat. Hoc argumentum facit Theodoretus in reprehensione secundi anathematismi Cyrilli, et postea sæpe repetit.

Respondeo : hoc argumento recte probari, duas esse in Christo naturas, non autem duas personas. Nam etiam animus noster dicitur habitare in corpore, ut in suo tabernaculo, quia diversa est natura animi a natura corporis : et tamen una persona est, quæ ex animo et corpore constat. Job. IV, dicuntur homines inhabitare domos luteas : et II. Corin. V, Apostolus dicit : *Si terrestris domus hujus nostre habitationis etc.* Ibidem : *Qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati* Et II. Petri I. : *Velox est depositio tabernaculi mei* (1). Itaque recte Chrysostomus hom. 10. in Jo. ex illo *Et habitavit in nobis* colligit, duas esse naturas in Christo : non recte autem Theodoretus colligit duas personas.

Argumentum secundum. Apostolus de Christo dicit Philipp. II. *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (2) ; non igitur Christus Deus homo fuit, sed hominibus similis propter indumentum humanitatis. Quemadmodum Rex indutus rusticis vestibus non esset rusticus, sed rusticorum similis.

Quare Theodoretus, (qui, ut supra diximus, aliquando Nestorii partes secutus est) in Commentario hujus loci scribit, Paulum voluisse dicere, Verbum non esse factum hominem, sed induisse hominem.

Respondeo cum Ambrosio, Chrysostomo Theophylacto, et (Clementio in hunc locum : Christum non fuisse hominem, sed similem hominibus in ea significatione qua hic accipitur homo ; nam cum Paulus dicit, Christum factum esse in similitudinem hominum, et habitu inventum ut hominem ; *Homini* vocem accipit, ut significat ordinariè purum hominem, conceptum ex semine viri, natum in peccato, peccatis obnoxium. Talis enim Christus videbatur, sed non erat : qua significatione utitur idem Paulus cum ait ad Gal. I. se Evangelium non didicisse ab homine, sed a Christo. Ubi sine dubio per hominem purum hominem intelligit : alioqui non diceret, *sed a Christo*, quasi Christus non esset homo, cum idem Paulus dixisset : *Unus est Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus*. I. Timoth. II. (3).

Porro Chrysostomus indicat etiam aliam explanationem, quam sequuntur Haymo et S. Thom. ut illud *In similitudinem hominum* significet similitudinem in specie humana, et sensus sit *Christum factum esse verum ho-*

minem, proinde similem cæteris in specie. Cui explanationi satis convenit id, quod præcedit : *Formam servi accipiens* ; est enim forma servi natura humana, ut supra ostendimus. Vox autem *Habitatus* hoc loco non significat vestem, sed externam figuram, ut Chrysostomus, Theophylactus, et (Clementius exponunt. Non enim Græce est *ἔδωκεν*, sed *ἔθηκεν* itaque sensus est : *Christus figura corporis exteriori videbatur unus de turba hominum cum tamen esset singularis quidam, et divinus homo, vel figura exteriori ostendebat se verum esse hominem.*

Quia tamen Augustinus libr. LXXXIII. quest. 73. Cyrillus lib. XI. in Jo. cap. 14. Haymo et Thomas in hunc locum, per *habitu* intelligunt indumentum. Responderi potest ad argumentum : humanitatem vocari indumentum Verbi, non quia Verbum non sit vere et substantialiter homo, sed propter similitudinem, quæ est inter vestes et humanitatem. Nam ut per vestes homines cognoscuntur sic per humanitatem Deus agnitus est : et quemadmodum cum vestes induimus, aptantur vestes ad figuram corporis, et proinde vestes mutantur, non homo ; sic etiam, cum Verbum caro factum est, humanitas mutata est, Verbo immutabiliter permanente. Igitur propter has et alias ejusmodi similitudines dici potest humanitas indumentum Verbi, licet alioqui Verbum vere et substantialiter homo factum sit.

Argumentum tertium, Hebr. VII. Filius Dei Christus dicitur *esse sine matre, et sine genealogia* ; ergo alius est Filius Mariæ, qui matrem et genealogiam habet, et alius Filius Dei, qui utroque caret.

Respondet recte Cassianus lib. VII de Incarn., posse argumentum in adversarios retorqueri. Nam ibidem ab Apostolo, de quo dictum est sine matre, sine genealogia, de eodem dicitur sine patre ; ergo si iste locus intelligitur de Filio Dei, sequitur, Filium Dei non habere Patrem, quod est contra Nestorium, qui distinguit Filium Dei Patris a Filio Virginis Matris. Dicit deinde Cassianus : Apostolum duas Christi natiuitates explicare voluisse ; unam sine matre, nimirum divinam ; alteram sine patre, nimirum humanam.

Argumentum quartum. Nomen Deus absolute positum, non significat Deum homini

(1) II. Cor. V, 1 et 4 ; II. Petri. I, 14. — (2) Philipp. II, 7. — (3) I. Timoth. II, 5.

unitum, sed Deum tantum : at Maria non peperit Deum tantum, sed Deum homini unitum; ergo non debet dicitur Maria genitrix. Hoc argumentum Nestorii fuisse, scribit Theodoretus lib. IV. de hæret. fab., in hæresi Nestorii.

Respondeo : Nomen Dei absolute positum, non significare quidem Deum homini unitum, sed neque excludere id a sua significatione; proinde malam esse consequentiam argumenti. Quod autem nomen Dei absolute secundum Scripturas tribui possit ei, qui de Virgine natus est, probatur ex eo, quod tribuitur ei qui mortuus est; cum ejusdem sit nasci et mori. Actor. XX : *Attendite vobis, inquit Paulus, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Et I. Jo. III. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit* (1).

Argumentum quintum. Filius Mariæ dixit : *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. XXVII. *Et Pater, sanctifica me ex hac hora* (2). Jo. XII. Et Angelo eguit consolatore, Luc. XXII : at ista Filio Dei non conveniunt; non igitur idem erat Filius Dei et Filius Mariæ.

Respondet Cyrillus in defensione quarti anathematismi contra Theodoretum : ista omnia convenire Filio Dei secundum formam humanam, sicut contraria ei conveniunt secundum formam Dei; est enim verus Deus et verus homo.

Argumentum sextum. Nemo potest anteriorem se gignere : Deus anterior est Maria, non igitur Maria Deum gignere potuit : quare non est appellanda Dei genitrix.

Hoc argumentum copiose refellit Cassianus lib. XII. de Incarnat., sed breviter respondeo : non posse ullum gignere aliquem se antiquiorem secundum id quo est antiquior. Itaque Maria peperit Deum Christum, non secundum Divinitatem qua erat anterior, sed secundum humanitatem qua erat posterior. Nec est mirum, si exempla non habeamus, quia mysterium hoc singulare est.

Argumentum septimum. Filius debet esse hominibus parentibus : sed Christus Deus non est hominibus parentibus, cum ipse sit Deus æternus et omnipotens, quæ Mariæ ullo modo conveniunt.

Hoc etiam argumentum fuse refellit Cas-

sianus, sed summa est, Filium debere esse hominibus parentibus secundum eam naturam, quam ab eis accepit, sive quatenus eorum filius est. Christus autem Deus non accepit a Maria naturam divinam, sed humanam, nec est ejus filius, nisi quatenus homo; et propterea satis est, si matri hominibus quatenus homo est, quemadmodum Patri est hominibus quatenus Deus est.

Argumentum octavum. Christus vocatur homo Deifer a B. Basilio in Ps. LIX. Respondeo : Basilium non dicere, Christum esse hominem Deiferum, ut Theodoretus falso citat in reprehensione quinti anathematismi, sed carnem Christi esse *ἀγαπητήν*, id est, *carnem Dei gestatricem* : est autem non parvum discrimen inter hominem et carnem; nam homo personam significat, ut etiam Deus : caro autem non personam, sed naturam, vel potius partem nature humanæ significat. Quare homo Deifer non recte dicitur de Christo, in quo sunt duæ personæ, homo et Deus : at caro Deifera dicitur recte, quia duæ sunt nature, caro et Deitas, et una est quasi domicilium ac sedes alterius. Adde, quod S. Ignatius in singulis fere epistolis se ipse *θεοῦ* inscribit. At quis credat, sanctum illum virum Christi vocabulum sibi assumere voluisse.

Quod si alicubi apud Patres (quod tamen ego invenire non potui) Christus dicitur homo Deifer, pie explicandum est, ut videlicet sensus sit, Christum ratione humanitatis templum ac sedem esse Divinitatis. Quemadmodum sanctus Augustinus cum in Enchir. cap. 36. et in lib. de prædest. Sanct. c. 15. et alibi non raro dicit, Dei Filium assumpsisse hominem, intelligit nomine hominis humanitatem.

CAPUT VIII.

Explicatur, in quo proprie consistat unio hypostatica duarum naturarum.

Sequitur nunc quarta pars nostræ disputationis, in qua explicanda est definitio Incarnationis, ut videamus, quid sit proprie unio hypostaticæ.

Brentius et Smidelinus supra citati volunt, uniri hypostaticæ divinam et humanam naturam in Christo nihil esse aliud, quam communicari attributa, seu proprietates omnes divinitatis humanitati Christi : communicari autem dicunt non per se, sed per accedens; explicat enim Concordia nuper edita in repetitione copiosa art. 8. id fieri non per dona creata et infusa, nec ita ut illa divina attributa fiant proprietates naturales humanitatis, sed quia Divinitas inhabitat tanquam in suo proprio corpore in Christi humanitate, et in ea lucet omni sua majestate, potentia, sapientia, justitia etc. et in illa et per illam omnia operatur. Itaque talem volunt esse unionem, qualis est inter agentem principalem et instrumentum. Unde etiam tam Brentius, quam Smidelinus solum per energiam differre volunt Christum ab aliis hominibus, quia Deus per Christum omnia, per alios quædam operatur. Hæc sententia falsissima est, et aperte Nestoriana, vel peior, quam Nestoriana.

Vera autem sententia est, uniri hypostaticæ Deum et hominem nihil esse aliud, quam naturam humanam non habere propriam subsistentiam, sed assumptam esse a Verbo æterno ad ipsam Verbi subsistentiam. Quod ut intelligatur facilius, observandum est, tribus modis posse aliqua plura uniri.

Primo essentialiter, cum videlicet ex pluribus sit una essentia : quomodo uniantur materia et forma, genus et differentia. Et hoc modo non est facta unio Incarnationis, ut patet : tum quia una esset in Christo natura, et illa nec esset divina, nec humana, sed tertia quædam; tum etiam quia unio essentialis nunquam fit, nisi ex imperfectis naturis, vel si ex perfectis, per corruptionem, aut conversionem aliquam : in Christo autem sunt nature perfectæ et integre.

Secundo modo accidentaliter, ut cum accidentia subjecto adiunguntur, vel cum substantia substantiæ copulatur, sed ex copula non exurgit nisi forma accidentalis, ut cum ex lapidibus vel lignis fit domus; et hoc etiam modo non est facta unio hypostatica, quia Deus, ut notum est, nec potest esse accedens, nec accidentium subjectum.

Tertio modo substantialiter, ut cum substantia, quæ alioqui per se existeret, trahitur ad esse alterius suppositi, et ab illo pendet tanquam pars ipsius, et hoc modo facta est Incarnatio. Et licet nullum sit exemplum

omnino simile; tamen aliqua dantur a Doctoribus, quæ utcumque rem explicant.

Unum est de anima et corpore, quo utitur Justinus in lib. de rec. Fid. confess., Athanasius in Symb., et Augustinus epist. 3. ad Volus. Nam anima rationalis extra corpus per se subsistit, et corpus etiam antequam animetur per se subsistit, et tamen quando uniantur, una tantum est utriusque subsistentia. Sed exemplum hoc valde deficit; tum quia anima et corpus sunt nature imperfectæ; tum etiam quia faciunt unam naturam; tum etiam quia neutrum trahit alterum ad suam subsistentiam, sed utrumque pendet a tertia subsistentia, quæ est totius compositi. In hoc autem mysterio, Verbum in se perfecte subsistens trahit ad se humanam naturam.

Secundum est de ferro ignito, quo utitur Basilius in Orat. in S. Nativ. et Damascenus lib. III, cap. 11. et Origenes lib. II de princip. c. 6. quia ferrum candens est quid unum, et tamen habet proprietates ferri et ignis etc. Hæc similitudo maxime placet Brentio, Kemnitio, et aliis adversariis, et tamen maxime omnium deficit. Nam in ferro candenti sustentatur calor a ferro, non contra; et tamen ipsi volunt, calorem referre Deum, et ferrum hominem. Item calor non est substantia, sed accedens. Item non fit communicatio idiomata: non enim calor dicitur ferrum, nec ferrum calor. Denique, non trahitur calor ad subsistentiam ferri, neque contra.

Tertium est de homine, in quo sint duæ formæ accidentales, ut ars Medicinæ et Jurisprudentiæ. Unum enim suppositum est, et tamen suscipit varias appellationes, et varia opera facit, et communicatur idiomata. Nam ille idem et Medicus et Jurisperitus dicitur, et vere potest dici, Medicus agit causas, et Jurisperitus curat morbos etc.

Utitur hac similitudine Augustinus epist. 99. ubi dicit, istam propositionem : *Deus est mortuus*, esse illi similem : *Philosophus est mortuus* : ut enim Philosophia non est capax mortis; et tamen Philosophus dicitur mortuus, quando ille homo perit, qui erat Philosophus; sic etiam licet Divinitas non possit mori; vere tamen Deus mortuus dicitur, quia ille homo mortuus est, qui erat etiam Deus. Eandem similitudinem præ cæteris probat Joannes Scotus in III, dist. 4. quæst. 4. quæ tamen similitudo deficit, quia iste

(1) Act. XX, 28; I. Joan. III, 16. — (2) Matth. XXVII, 46; Joan. XII, 27.

sunt formæ accidentales, et proinde non trahuntur ad subsistentiam hominis, quod est in hac re præcipue considerandum.

Quartum est B. Thomæ, et B. Bonaventuræ in III, dist. 4. quæst. 1. ubi comparant hoc mysterium arbori, cui inseritur ramus alterius speciei. Existat exemplo pirus, cui malus inseratur: illa certe pirus substantia est prima, atque adeo verum suppositum, nec pendet ab illo ramo mali insito, et post insitionem sustentat ramum illum, qui alioqui per se existeret; et vocatur jam pirus et malus; et facit pira et mala; et potest pirus vocari malus, et contra: et si ramus ille forte sicceat, et deinde revivescat; non propterea arbor piri mutatur, sed omnis mutatio in illo ramo existit.

Ita prorsus Verbum divinum instar magnæ arboris suscepit ramusculum humane naturæ suo trunco a cœlesti agricola mirabiliter insertum; inde fuit Verbum Deus et homo, et opera divina et humana faciebat: nec Verbum ab humanitate, sed humanitas a Verbo pendebat. Et cum paulo post per passionem et mortem humanitas illa quodammodo exaruisset, ac deinde per resurrectionem refloruisset, nulla mutatio in Verbo facta est, sed omnis mutatio humanitatis fuit.

Hæc tamen similitudo deficit in duobus. Nam et ille ramus non est perfecta arbor, sed pars arboris, non enim habet radices, truncum, et alia. Et antequam insereretur per se existeret: natura vero humana, quam ramo inserto comparavimus, et perfecta natura est, et nunquam habuit propriam subsistentiam: quod si divina virtute aliquis ramus simul produceretur et inseretur, non deficeret similitudo nisi in uno.

Quoniam igitur omnes similitudines aliquo modo a veritate deficiunt, ideo S. Bernardus Serm. 3. in vig. Nat., et Damascenus lib. III, cap. 5. comparant mysterium Incarnationis mysterio Trinitatis, ut ex una re singulari illustrent aliam æque singularem. Ut enim singulare est, quod sint in Deo tres perfecte hypostases cum una sola et simplicissima natura; ita singulare est, quod sint in Christo tres naturæ, Deitas, Anima, et Caro cum una simplicissima hypostasi. Tres autem naturas in Christo, Deitatem, Animam, et Carnem, ne forte id novum videatur, distinguit, ac numerat etiam Augustinus lib. XIII. Trin. cap. 17.

His igitur ita explicatis, demonstrandum

est, rem ita se habere, hoc est, unionem hypostaticam consistere in communicatione subsistentiæ Verbi, non in communicatione attributorum Deitatis. Ac primum ex dictis. Nam ostendimus ex Scripturis, in Christo unam esse personam, duasque naturas: at non potest hoc esse verum, nisi una tantum sit in Christo subsistentia, nam si duæ essent, duæ essent personæ, cum persona sit natura intellectualis per se existens. Quid si in Christo una tantum est subsistentia; ergo aut Verbum communicavit suam humanitati, aut contra humanitas Verbo. Non autem communicavit Verbo subsistentiam suam humanitas, ut omnes confitentur; igitur communicavit Verbum subsistentiam suam humanitati, atque ita facta est unio hypostatica.

Secundo, idem probari potest testimoniis gravissimis eorum Conciliorum, quæ etiam ab adversariis recipiuntur. In epist. Conc. Alexand. cum 12. anathemat., quæ recepta et probata est in Synodo Ephesina et Chalcedonensi, sic habetur in 2. anathemat.: « Si quis non confiteatur carni secundum subsistentiam unitum Dei Patris Verbum, anathema sit. » Et anath. 3.: « Si quis in uno Christo dividit subsistentias post unionem, anathema sit. » Et anathemat. 4.: « Si quis in personis duabus, vel subsistentiis dividit eas voces, quæ dicuntur de Christo in Evangelicis et Apostolicis scriptis, anathema sit. »

Adde, quod in Apolog. cont. Orient., in defens. 4. anathemat., Cyrillus adducit pro se hæc verba sancti Julii Romani Pontificis: « Incarnatus est ex Virgine Dei Filius, qui et habitavit in hominibus, non in homine energiam operans, hoc enim in Prophetis est et in Apostolis, perfectus Deus in carne etc. » Vides sententiam discretis verbis contrariam Brentianæ. Et in altero apologetico contra Theodoretum, ponit idem Cyrillus hæc verba Theodoreti contra 2. anathemat.: « Secundum subsistentiam, unionem omnibus modis ignoramus. » Ubi etiam vides apertam hæretici confessionem.

Item in Concilio Chalcedonensi act. V: « Doceamus salva, inquit Patres, utriusque naturæ proprietate, et in unam personam atque subsistentiam concurrente, Filium et unigenitum Deum Verbum. » Quo loco notabis, non misceri proprietates naturarum, et proinde non communicari uni naturæ dotes alterius, sed subsistentiam tantum communicari.

Item in V. Synodo act. ult. can. 4. sic habes: « Si quis dicit, secundum gratiam, vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum honoris æqualitatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem, unionem factam esse. » Et infra: « Sed non consentitur, unitatem Dei Verbi ad carnem non secundum compositionem, sive secundum subsistentiam, factam esse, anathema sit. » Et infra: « Sancta Dei Ecclesia utriusque impietatem ejiciens, unionem secundum compositionem confiteatur, quod est secundum subsistentiam. » Quid clarius contra Brentium et sectatores ejus, qui introducunt unionem factam secundum gratiam, et operationem, et dignitatem? Et can. 5. ejusdem Concilii: « Si quis introducere conatur in mysterio Christi duas subsistentias, seu duas personas, et unam personam dicit secundum dignitatem, et honorem, et adorationem, et non confiteatur secundum Dei Verbum carni unitum esse et propter hoc unam subsistentiam ejus subsistentiam etc. anathema sit. »

Item in Concilio Lateranensi sub Martino I. consult. ult. can. 6: « Si quis secundum sanctos Patres non confiteatur proprie et secundum veritatem ex duabus et in duabus naturis substantialiter unitis inconfuse, et indivise unum eundemque esse Dominum et Deum Christum, sit condemnatus. » Et can. 8: « Si quis non confiteatur secundum sanctos Patres proprie et vere secundum compositionem, id est, secundum subsistentiam naturarum unionem, ex quibus unus existit Christus, inconfuse et indivise in eo cognitum, sit condemnatus. »

Item in VI Synodo, act. 4. in epist. Agathonis, quam totum Concilium recepit, sic legitur: « Non per unionem, quæ secundum subsistentiam facta cognoscitur, unum, sed blasphemantes per affectum voluntatis tanquam duas subsistentias id est duos quosdam jungunt, etc. » Idem habetur act. 17. in ipsa definitione Concilii. Ubi vides, discretis verbis tanquam blasphemos damnari eos, qui aliter quam per subsistentiam explicant hypostaticam unionem.

Tertio, probatur argumento Concilii Tolentani VI, cap. 4. Solus Filius Dei est incarnatus; ergo unio facta est per communicationem ejus quod est proprium Filii, non ejus quod est commune aliis personis: sed sola subsistentia Filii est propria Filio, attributa autem omnia essentialia communia sunt

omnibus tribus personis; ergo unio hypostatica facta est per communicationem solius subsistentiæ. Hæc ratio plane convincit, aut esse verum id, quod nos dicimus, aut totam Trinitatem esse incarnatam, si vera est definitio Brentii et Smidelini; nam illa attributa, omnipotentia, omnipresentia, omnijustitia etc., quorum communicatione volunt factam esse incarnationem, communia sunt toti Trinitati.

Quarto, Pater æternus communicavit Filio omnia sua attributa perfectissime, et multo perfectius, quam Brentiani velint eadem illa communicari a Filio Dei filio hominis: et tamen quia subsistentiam suam propriam Pater non communicat Filio, non sunt uniti hypostaticè, sed distincti potius hypostaticè Pater et Filius; ergo unio hypostatica non consistit in communicatione attributorum, sed solius subsistentiæ.

Hæc etiam ratio vel plane convincit, Patrem et Filium esse unam hypostasim, si est vera definitio Brentii et Smidelini: vel fateri debent, velint nolint, hypostaticam unionem non consistere in attributorum communicatione.

Dicent fortasse: cum aliis attributis communicari etiam subsistentiam. At verba ipsorum aliud sonant. Nam Brentius in lib. de Majest. Christ. hom., ubi conatur ostendere, quid proprio sit unio hypostatica, qua distinguitur Christus a puris hominibus, sic ait: « Itaque discrimen Christi et Petri non est simpliciter sumendum ab inhabitatione Filii Dei, sed a communicatione proprietatum ejus: Filius enim Dei et si sua essentia implet Petrum, sicut et hominem Christum; non tamen communicat Petro omnes suas proprietates, sed tantum nonnullas, vivificat Petrum, conservat in vita, dat Petro potestatem ejiciendi demones, imo excitandi mortuos. Inter ea autem non facit eum omnipotentem, omniscientem, omnisapientem, omnijustum, et omnipresentem: Filium vero hominis ornat non aliquibus tantum, sed universis suis donis. » Et infra: « Ostendi, inquit, eum factum esse omnium Dei proprietatum sine ulla exceptione capacem, et nisi eam habeat capacitatem, non esse discrimen inter Christum et alios homines, nec Verbum fieri potuisse carnem. » Similia habent theses Smidelini, et liber Concordiæ: ubi non video mentionem fieri subsistentiæ, sed solum attributorum essentialium.

Præterea, quidquid sit de subsistentia,

saltem volunt requiri ita necessario ad rationem hypostaticæ unionis communicationem omnium attributorum, ut ubi desit talis communicatio, non sit unio hypostatica, et ubi adsit sit. Nam Brentius asserit, quod si Petrus esset omnipotens, et omnipræsens, esset etiam unius Deo hypostaticæ. Hoc autem positum, concludunt necessario rationes factæ, quod nimirum sequeretur, totam Trinitatem esse incarnatam, et Patrem ac Filium unam esse hypostasim.

Præterea sequuntur duo alia absurda, et contra Fidem, quæ esse possunt 6 et 7. argumentum.

Primo, corpus Christi in triduo mortis non fuisse unitum hypostaticæ Verbo: nam corpus mortuum non est capax omnipotentia, omnisipientia, omnijustitiæ. Secundo, Christum hominem non semper fuisse Deum: nam Christus meruit sibi aliqua dona, ut gloriam corporis, et exaltationem nominis, imo et ascensionem in cælum, et sessionem ad dexteram Dei. Dicitur enim Luc. ult. *Apartuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam.* Et Philip. II: *Factus obediens usque ad mortem, etc., propter quod et Deus exaltavit illum.* Et Hebr. II: *Videmus Jesum propter passionem gloria et honore coronatum (1).*

At si omnium donorum communicatio requiritur ad unionem hypostaticam constituendam; ergo Christus meruit sibi, aliqua saltem ex parte, unionem hypostaticam; ergo fuit antequam uniretur, neque enim mereri potest qui non est; proinde non semper fuit unitus hypostaticæ, quæ est hæresis Pelagiana.

Septimo, Si unio hypostatica requireret communicationem omnium proprietatum, atque attributorum, esset omnino impossibilis talis unio: nam multa sunt Deo propria, quæ implicent contradictionem communicari creaturæ, quale est esse increatum, et esse actum purum, esse infinitum ens, et similia. Quædam etiam sunt, quæ sive potuerint communicari, sive non, certum est non esse communicata humanitati Christi, ut carere principio temporis, creare cælum, et terram, et Angelos, et reliqua quæ fuerunt ante illam humanitatem. Quædam etiam sunt, quæ licet collata sint humanitati Christi, non tamen ante resurrectionem, ut esse impassibilem, esse immortalem, et ta-

men ante resurrectionem fuit unio hypostatica. Nec valet quidquam responsio eorum, qui dicunt, Christum tempore exinanitionis debuisse occultare suam majestatem. Nam ista dona non occultavit, sed vere non habuit re ipsa, nisi dicant, Christi corpus semper fuisse immortale et impassibile, quæ est alia hæresis apud Evagrium, lib. IV hist. cap. 38. et 39.

Octavo. Fatentur ipsi, hæc dona per accidens convenire humanitati Christi, ut patet ex thesi 22 Smidelini: at unio hypostatica non est accidentaliter sed substantialiter, ut patet ex allegatis Conciliis, et maxime ex Concilio V, cap. 4 et 5. ubi hoc expresse habetur. Item, quia tunc Christus homo esset Filius Dei per gratiam, non per naturam: quod sane repugnat omnium Patrum sententiæ. Item, non posset homo vere nominari Deus, nec Deus homo: nam ista unio accidentaliter non est per inhaerentiam donorum, ut ipsi dicant, et recte dicunt, quia loquuntur de donis increatis, quæ sunt ipsa essentia Dei: sed est per conjunctionem extrinsecam, qualis est inter agens principale et instrumentum, ut inter navem et nautam: docent enim, unionem Dei et hominis in eo consistere, quod Deus omnia per illum hominem operetur. At ejusmodi unio non satis est ad communicanda nomina et proprietates: nec enim nauta dici potest navis, neque navis nauta; non igitur Christus homo dici potest Deus, neque Christus Deus dici potest homo. Atque hoc idem de proprietatibus dicemus: ut enim nauta non potest appellari expertus sensus et rationis, quæ sunt proprietates navis; neque navis dici potest sensu et ratione prædita, quæ sunt proprietates nautæ; sic etiam Christus Deus dici non poterit crucifixus et mortuus, quæ proprie conveniunt homini: nec Christus homo dici poterit omnipotens, et cæli terræque Creator, quæ proprie conveniunt Deo.

Denique, si unio hypostatica tantum esset ista communicatio accidentaria donorum, etiam nos essemus hypostaticæ uniti cum Deo, licet minus arcte: nam quod ille plura dona habeat, nos pauciora non mutat speciem.

Adde, quod nullum habent argumentum alicujus momenti: præcipuum est illud, quod Brentius objicit, et sæpissime repetit, quod nisi ita sit, non poterit inveniri distinctio

tio inter unionem Dei cum Christi humanitate, et unionem ejusdem Dei cum sancto Petro, et aliis hominibus; cum Deus omnes sustentet, et omnibus sit inimus per essentiam, præsentiam et potentiam: et solum hoc sit discrimen, quod per solum hominem Christum omnia operetur.

At hoc facillime solvitur: nam discrimen in hoc consistit, quod Christi humanitas non habet propriam subsistentiam, sed in Verbo existit, qua similitudine utitur sanctus Athanasius in Symbolo cum ait: *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus*: at ceteri homines habent subsistentiam propriam et distinctam re ipsa ab illa, quæ est in Verbo Dei; unde aliter sustentat Deus Petrum, aliter Christi carnem: nam Petrum dicitur sustentare, quia conservat illum cum sua essentia et subsistentia, ut cum quis baculum manu tenet: at Christi humanitatem Dei Verbum sustentat, eo modo quo totum sustentat partes intime sibi conjunctas et unitas.

CAPUT IX.

Proponitur quæstio: an ex unione hypostatica sequatur communicatio realis attributorum divinarum, ac præcipue Immensitatis sive Ubiquitatis.

Superest jam tractare, postquam ostendimus, unionem hypostaticam non consistere in illa communicatione omnium attributorum divinarum, an saltem ex illa unione id sequatur, ut attributa omnia, vel aliqua, ac nominatim Omnipræsentiæ, sit communicata humanitati Christi.

Et quidem Kennitius, in lib. de duab. nat. cap. 4, 21 et 23, docet, non esse quidem de essentia unionis hypostaticæ istam communicationem, in quo a Brentio et Smidelino dissentit: sed tamen consequi ad unionem hypostaticam talem communicationem, et quidem realem, ita ut natura humana vere sit omnipotens et omnipræsens, etc.

Similia habet Wigandus in lib. de communie, idiom., nisi quod quasdam proprietates dicit non communicari nisi verbaliter, ut esse Creatorem cæli et terræ, quia tunc Fi-

lius Dei non erat homo: at reliquas realiter, ac nominatim Ubiquitatem.

Similia etiam docet Nicolaus Selneccerus, tum in Ped., tum in ep. ad Theol. Wirtemb. scripta anno 1371, ubi damnat hanc propositionem et blasphemam: *Humana natura in Christo non est omnipotens.* Et ibidem docet, realiter communicata esse Christi humanitati ex unione hypostaticæ infinita dona. Et addit hæc verba, quibus videtur omnino confundere proprietates naturarum: « Quod, inquit, ad potentiam attingit, cum Paulo loquimur, si cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc non novimus. Cessante enim infirmitate carnis, nihil in eo jam novimus nisi virtutem Divinitatis. » Et infra: « Ac per hoc quidquid vel fuerat prius, vel est, et manet substantiæ duplicis, factum est virtutis unius. »

Denique omnes Lutherani supra citati initio hujus libri hæc realem communicationem defendunt, licet non conveniant in eo, utrum illa sit de essentia unionis hypostaticæ, an eam tantum sequatur.

Catholica vero doctrina duo docet. Primo, ex unione hypostaticæ consecuta esse in Christi humanitatem multa dona creata et infusa: ut gratiam excellentissimam, sapientiam maximam, potentiam singularem, et alia id genus; quæ tamen non sunt attributa Deitatis, nisi per participationem quamdam, quomodo etiam nos participamus Dei attributa per creatas qualitates, licet minus perfecte, quam Christi humanitas ea participet. Neque in his consistit communicatio idiomatum: nam illa communicatio est mutua; horum autem communicatio donorum non est mutua, nihil enim Deitati accessit.

Secundo, ex unione hypostaticæ sequitur communicatio idiomatum, quæ quidem communicatio non est realis respectu ipsarum naturarum, quasi ipsa Divinitas facta sit passibilis, et humanitas realiter sit facta omnipotens, et volunt Lutherani, neque est plane verbalis, ut vult Beza in lib. cont. Brent. et Petrus Martyr in Dial. de duab. nat. sed est realis quidem, sed respectu hypostasis utriusque naturæ: non autem respectu ipsarum naturarum, ut expresse docent Patres. Ambrosius lib. II de Fid. cap. 4. Augustinus lib. I de Trin. cap. 13. Cyrillus in defens. 4. anathemat., et Damascenus lib. III, cap. 4. ubi dicit, idiomata communicari nihil esse aliud, quam proprietates utriusque naturæ applicari communi hypo-

(1) Luc. XXIV, 26; Philipp. II, 8 et 9; Hebr. II, 9.

stasi, et proinde ipsis naturis in concreto, quia concreta nomina pro supposito accipi possunt. licet formaliter naturas significant.

Itaque recte dicimus, Deus est natus ex Virgine, passus, mortuus, etc., quia Deus accipi potest pro quolibet supposito divino, et proinde pro supposito secundae personae, quod est simul divinum et humanum: quod suppositum vere et realiter est Deus, et vere et realiter est homo; et proinde vere et realiter est natus ex Virgine, passus, mortuus, etc. Pari ratione recte dicimus, Christus homo est omnipotens, aeternus, ubique, etc. quia homo in concreto stat pro supposito humano: in Christo autem suppositum divinum et humanum unum est, et cum sit divinum, consequenter est omnipotens, aeternum, et ubique, etc. Quae omnia facile probari possunt, sed gratia perspicuitatis primo agemus de idiomatibus in genere; secundo in particulari de Ubiquitate.

CAPUT X.

Ex unione hypostatica non fluxisse communicationem idiomatum realem respectu naturarum.

Igitur non communicari realiter attributa, sive idiomatica unius naturae alteri naturae ex vi hypostaticae unionis, primo docent sacra Concilia. Nam in Concilio Chalcedonensi act. V, sic legimus: « Salva utriusque naturae proprietate, et in unam concurrente personam, etc. » Quod idem habetur in Concilio VI, act. 4 et 17, in Concilio Martini Papae can. 9, et in epist. 10 S. Leonis ad Flavianum. Praeterea in Concilio VI, act. 17, et in Concilio Martini Papae can. 10, 11, 12 et sequentibus, definitur contra Monothelitas, in Christo non solum duas esse naturas cum suis proprietatibus, sed etiam duas existere voluntates et operationes inconfusas. Denique epist. Agathonis Papae, quae recitatur in Concilio VI, act. 4, et a toto Concilio approbatur, habemus, in Christo omnia esse duplicia, id est, naturas, proprietates, voluntates, operationes, sola excepta substantia, quae est una; et ibidem additur, duas inconfusas naturas colligi ex naturalibus earum-

dem naturarum proprietatibus. Ex quo sequitur, etiam proprietates manere inconfusas et distinctas.

Ex his colligimus, multis modis erroneam esse adversariorum sententiam. Nam primo, si communicantur vere et realiter propria unius naturae alteri naturae, et contra; ergo non manent distinctae et inconfuse proprietates: quomodo enim manent distinctae, si humana natura habet divinas, et divina natura habet humanas proprietates? Item, si communicantur; ergo non sunt amplius proprietates, sed communitates: quomodo enim est proprium, quod est factum commune? Item, proprietates harum naturarum, ut plurimum sunt impossibiles, ut est, esse creatum et increatum, finitum et infinitum, ubique et non ubique; ergo si divina natura recipit humanas proprietates, cogitur amittere suas: et si humana recipit divinas, cogitur amittere suas; quomodo ergo salvis proprietatibus facta est Incarnatio?

Merito itaque S. Augustinus serm. 491. de temp., qui est 3. de Trin. ita loquitur: « Illorum quoque execramur similiter blasphemiam, qui novo sensu asserere conantur, a tempore acceptae carnis, omnia quae erant Divinitatis in hominem demigrasse: et rursus quae humanitatis erant, in Deum esse transfusa, ut, quod nulla unquam haeresis ausa est dicere, videatur hac confusione utraque exinanita esse substantia, et Deitatis scilicet et humanitatis, et omissio proprio statu in aliud esse mutata. »

Ad haec respondere conantur adversarii: et primum Brentius lib. de majest. Christ. hom. dicit: Concilium Chalcedonense tantum loqui de proprietatibus essentialibus, quae non possunt tolli sine abolitione essentiali; non autem loqui de accidentalibus, quales sunt esse in loco, esse corruptibile, etc.

At haec solutio aliquid dicit ad tertiam consequentiam: ad primam et secundam nihil. Praeterea nec tertiae satisfacit. Nam esse finite potentiae, et majestatis, et virtutis, sunt proprietates inseparabiles a creatura: contrariae enim arguunt infinitam essentiali; ergo tribuere humanitati, quae creatura est et finita, infinitam potentiam, et infinitam majestatem, ita ut non solum sit in toto Mundo, sed etiam possit actu replere infinitos Mundos, ut potest Deitas, est plane tollere ab humanitate essentialia eius proprietates. Hoc autem ipsi dicunt: nam Christi

humanitatem voluit esse vere omnipotentem, et ubique, eo modo quo est Deus, qui quidem non solum est in toto Mundo, sed etiam posset actu replere infinitos Mundos.

Praeterea ex hoc ulterius sequitur, duo esse in mundo omnipotentia, immensa, et infinita, nimirum, Deitatem et humanitatem Christi: hoc autem est contra Symbolum Athanasii, et contra omnes Scripturas. Nec possunt respondere: unam esse omnipotentiam, infinitatem, et immensitatem duarum illarum naturarum, sicut una est trium divinarum personarum. Nam omnipotentia, et infinitas atque immensitas Dei nihil est aliud, quam ejus essentia; ergo non potest esse eadem immensitas et omnipotentia Deitatis et humanitatis Christi, nisi sit eadem essentia utriusque naturae, sicut est eadem essentia trium personarum. Atque ita semper eo reditur, ut confundantur naturae in Christo.

Auctores Concordiae in repetitione articulorum controversorum art. 8., et Kemnitiuss lib. de duab. nat. cap. 21, 22 et 23, docent, proprietates humanitatis non communicari reipsa Divinitati, et proinde naturam divinam manere illasam. Deinde addunt, divinas proprietates communicari reipsa humanitati, sed Deo non tolli, nec misceri proprietates, qui divinae proprietates nunquam sunt naturales et essentialia proprietates humanitatis, sed illi tantum communicantur per gratiam: sicut ex conjunctione animae et corporis non sunt proprietates corporis eae quae erant animae, sed tantum communicantur corpori, quia anima in illa habitans, omnia in illo et per illud operatur.

Addit Kemnitiuss similitudinem ferri candentis, quae etiam, ut supra diximus, usus est Orig. lib. 2. de princ. cap. 6. et Basil. Orat. de Nat. Dom. Qua similitudine existimat Kemnitiuss apertissime declarari, quomodo ista communicatio fiat, salvis utriusque naturae proprietatibus.

At neque haec solutio sufficiens est. Primo, quia si proprietates humanae non tribuuntur divinitati: sequitur non esse mutuam communicationem idiomatum, quod est contra omnes Veteres, et praecipue contra Damascenum lib. III. cap. 4. Quid, quod hac ratione coguntur discedere a suo Luthero, qui aperte docuit, Divinitati tribuenda, quae dicuntur de passione Domini?

Secundo, non est verum, omnia omnino Deum operari per carnem. Nam actiones saltem immanentes, ut intelligere et velle

divinum non erant, nec sunt per carnem. Item excitatio carnis Christi a mortuis non fuit per carnem, sed per Spiritum Dei, ad Rom. VIII.

Tertio, non omnia Dei attributa consistent in operatione externa, ut planum est de Simplicitate, Infinitate, Sapientia, Potentia, Bonitate; ergo etiam si Deus omnia opera exteriora per carnem operaretur, non propterea communicasset illi sua attributa. Praeterea, etiam si omnia omnino Deitas per humanitatem ageret, et attributa omnia in actione consistent; adhuc non posset dici humanitas omnipotens, omnisapiens, omnijustus etc. Nec enim epitheta causae principalis conveniunt instrumento; alioqui cum quis doctus et sapienter scriberet, calamus doctus et sapiens diceretur.

Denique ipsa similitudo animae et corporis est contra ipsos. Nam anima non communicat corpori suas veras proprietates, neque corpus animae: non enim corpus intelligit, discurrit, deliberat, quae sunt propria animae: neque e contrario anima currit, sedet, esurit, silit, quae sunt propria corporis. Et praeterea anima tota est in capite, et tamen eadem tota est in pede, ubi non est caput, et contra.

Similitudo quoque ferri candentis nihil Kemnitiuss juvat; imo imperitum plane ostendit. Ait enim Kemnitiuss: ignem communicare ferro suam ipsius vim urendi et lucendi, non per informationem, sed per unionem, quae ferrum penetratur ab omni parte ab igne: et addit, ferrum adhuc retinere suas proprietates, id est, naturalem duritiam, nigrorem, frigus, licet non appareant. At profecto qui haec dicit, caret sensu. Nam remotis miraculis et praestigis, calor, et frigus, durities, et mollities, candor, et nigror, si non apparent et sentiuntur, non sunt. At quis unquam vidit in ferro candente nigrorem? quis sensit frigus? quis duritiam diceret esse in ea re, quae flectitur instar cere.

At, inquit Kemnitiuss: si removeatur ignis, apparebunt nigredo, frigus, durities; ergo etiam antea erant. Respondeo: remotio igne a ferro, paulatim recedere calorem et candorem ferri, quae non solum ab igne in ferro producebantur, sed etiam conservabantur. Itaque cum iterum existit in ferro frigus et nigredo, non apparet quod latebat, sed redit quod abierat.

Praeterea, quale paradoxum est, quod ig-

nis penetret totum ferrum non per calorem productum, sed per seipsum, et quod ferrum luceat et urat, non per calorem acceptum ab igne, sed per illum ipsum qui est in igne? Nam hoc modo substantia ignis sine ullo miraculo penetrabit aliam substantiam, quod non faciunt nisi divina virtute corpora gloriosa, ut S. Th. docet IV. sent. d. 44. q. II. art. 2. Et præterea, quantumvis intime penetretur ferrum ab igne, certe nunquam erit verum dicere, ferrum urit, aut luces, nisi ipsum ferrum sit affectum qualitatibus sibi inherens caloris et lucis: sed dicere oportebit, ignis qui est in ferro urit ac luces. Adde, quod in ferro candenti non cernitur ea communicatio idiomatum, quæ cernitur in Incarnatione: non enim dicimus, ferrum esse ignem, et ignem esse ferrum, quemadmodum dicimus, Deum esse hominem, et hominem esse Deum.

Neque obstat, quod Patres hac similitudine utantur: illi enim non volunt ostendere hac similitudine communicationem idiomatum, nec totum Incarnationis mysterium, sed unum ejus conditionem, quomodo videlicet per Incarnationem non ledatur Divinitas, et incarnatio perficiatur humanitas: ut enim ignis in ferro non nigrescit, nec frigescit, nec consumitur rubigine, ita etc. Atque hæc de attributis in genere.

CAPUT XI.

Refellitur Ubiquitas humanitatis Christi, quia pugnat cum Scripturis.

Nunc in speciali de Ubiquitate disputandum est, vel potius ipsa Ubiquitas destruenda. Primo ergo ista Ubiquitas repugnat expressis Scripturis, quæ dicunt Christum hominem ratione humanitatis alicubi non fuisse, et proinde non semper fuisse ubique. Jo. XI: *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi.* Jo. VI. *Cum vidisset turba, quia Jesus non esset ibi.* Matth. ult.: *Non est hic, surrexit enim (1).*

Sed ad hæc respondent: significari his testimoniis, Christum non fuisse ubique

(1) Joan. XI, 14 et 15; Ibid. VI, 24; Matth. XXVIII, 6. — (2) Jer. XXIII, 25; Psal. CXXXVIII, 7. — (3) Sap. I, 7.

localiter, non autem non fuisse ubique divino modo. At etiam in Cœna Corpus Christi non est localiter, et tamen quia revera ibi est, nemo Lutheranorum auderet absolute dicere, Corpus Christi non est hic, id est, in Cœna. Item, Deus non est in Mundo localiter: et tamen non toleraretur qui diceret, Deus non est in cœlo, nec in terra. Eodem igitur modo, si Christi humanitas vere est ubique, quocumque modo ibi sit, falsum erit absolute quod Scripturæ dicunt: *Non est hic, Non eram ibi etc.* Scriptura autem falsa esse non potest; igitur falsa est sententia adversariorum. Præterea, anima Christi non erat in inferno localiter, sed spiritualiter; et tamen non semper ibi fuit: nam non est relicta in inferno Act. II; ergo revera non est ubique, non solum localiter, sed nec alio modo.

Secundo, repugnat illis Scripturis, quæ dicunt, Deum esse ubique, ut hoc modo illum discernant ab omnibus creaturis. Hieremias XXIII. *Cælum et terram ego impleo*, et alibi. Et Psalm. CXXXVIII. *Quo ibo a Spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam (2)?* Unde Patres ex hoc Dei attributo probant, Spiritum sanctum esse verum Deum, non creaturam, quæ scriptum est Sap. I. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum (3).*

Vide Ambrosium lib. I de Spir. S. cap. 7. Hieronymum et Cassiodorum in Psalm. CXXXVIII. Cyrillum lib. VII de Trin. Basilium lib. de Spir. S. cap. 22. Didymum lib. I. de Spir. S. Fulgentium in lib. ad Donat. cap. 8. Vigilium in disput. Athan., Arii, et Sabelli. Augustinum lib. III cont. Maxim. cap. 21.

Respondent: proprium esse Deo, esse ubique per se: tamen hoc idem convenire Christi humanitati per accidens, ratione unionis cum Deo. At hoc non satisfacit: nam esse ubique per accidens, potest dupliciter intelligi. Primo, quod Christi humanitas vere non sit ubique, sed dicatur esse ubique, quia est conjuncta cum Verbo, quod est ubique. Secundo, quod revera sit ubique, tamen hoc habeat non ex natura sua, sed per gratiam Dei, quæ est accidens respectu ipsius essentiae humane.

Si primo modo intelligant, nec proprie loquuntur, nec habent quod intendunt. Non loquuntur proprie, quia non potest absolute

dici tale id, quod non est ipsum tale, sed est conjunctum cum alio quod est tale: aliqui corpus posset dici spiritus, quia est conjunctum cum anima, quæ est spiritus, et Oculus esset in calcaneis, quia est conjunctus cum anima, quæ est in calcaneis. Nec habent quod intendunt: nam ex ubiuitate volunt stabilire veram presentiam corporis Christi in Cœna: at ex ista ubiuitate accidentaria non sequitur, Christi corpus esse in Cœna revera, sed tantum sequitur esse conjunctum cum Deitate, quæ est præsens in Cœna.

Si secundo modo accipiant, ut sine dubio accipiunt; tunc argumentum Patrum pro Spiritu sancto plane concidit. Nam Ariani dicunt, Spiritum sanctum esse quidem ubique, sed per accidens; et ideo non esse Deum verum, sed creaturam. Cum ergo Patres recte probarint ex ubiuitate, Spiritum sanctum esse Deum; manifeste sequitur soli Deo convenire vere esse ubique, nec id esse per gratiam communicatum ulli creature.

Dices: nonne corpus Christi, ut est in tot locis simul sacramentaliter, posset etiam esse in toto Mundo? nonne posset Deus totum Mundum convertere in panem, et panem illum in corpus suum? et tamen non propterea corpus Christi posset esse Deus.

Respondeo: potest quidem id fieri, sed hoc non est esse ubique quomodo est Deus, et quomodo Brentiani intelligunt de corpore Christi. Nam Deus ita est in toto Mundo, ut non contineatur Mundo, sed sit tantæ immensitatis, ut possit replere infinitos Mundos: id quod nos corpori Christi, quod est finitum, minime tribuimus. Deinde, quidquid sit de eo quod potest, aut non potest fieri; satis nobis est, reipsa id non esse communicatum, nec communicandum ulli creature, ut sit ubique, et ideo inde evidenter probari, Spiritum sanctum esse Deum.

Tertio, repugnat Ubiquitas testimoniis, quibus Patres probant, in Christo duas esse naturas, præcipuus enim locus ille Joa. III: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo (1).* Ex quo loco plurimi Patrum deducunt, Christum esse Deum et hominem, quia quando erat corpore solum in terra, dicebat tamen se esse in cælo, nimirum Deitate. Ita Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Beda in eum locum. Item Nazianzenus ep. 4.

(1) Joan. III, 13. — (2) Gen. XI, 7: XXIX, 21.

ad Chelidon., et Hilarius lib. X de Trin., et alii.

At si vera sit Ubiquistarum sententia, hoc argumentum nihil concludit. Nam dicerent Eutychiani ab Ubiquistis edoceri, etiam carne tunc fuisse Christum in cælo, et in terra, et ubique.

Præterea: probant Patres, Christum Deum esse et hominem ex illis locis, ubi dicitur Christus iter fecisse ac mutasse loca, nunc navi, nunc pedibus, nunc etiam asello; cum tamen ut Deus ubique esset, et moveri non posset. Vide B. Ambrosium lib. II. de Fid. cap. 4. et Athanasium apud Vigilium in disput. cum Ario.

At secundum Ubiquistas ista omnia nihil probant. Nam si Christi caro ubique erat, certe non poterat moveri nisi metaphoricè, sicut Deus dicitur aliquando descendere de cælo in terram, quia apparet hominibus, non ubi non erat, sed ubi non videbatur. Nam moveri proprie de loco ad locum, est deserere unum locum, et acquirere alium: qui autem est ubique, nec potest desere unum, nec acquirere alium. Nec valet quod dicunt: corpus Christi fuisse ubique invisibiliter, sed visibiliter in certo loco, et hoc secundo modo potuisse moveri. Nam non potest esse in eodem loco visibiliter, et invisibiliter simul, quia tunc bis esset in eodem loco, deinde nonne involvit contradictionem, rem eandem in eodem loco videri, et non videri?

Denique moveri proprie non potest intelligi sine novi loci adeptione; igitur Christus si erat ubique, non poterat vere moveri, sed solum appaerent: et proinde, sicut ex motu Dei metaphoricè non probatur, Deum esse creaturam; ita ex motu Christi, qui solum metaphoricè esse potuit, non poterat recte colligi, Christum esse hominem. Et confirmatur ex responsionibus adversariorum, qui cum volunt ostendere, non pugnare cum Ubiquitate motum corporis Christi, probant, quia etiam de Deo dictum est Genes. XI. *Descendamus et confundamus linguam eorum.* Et Genes. XIX: *Descendam et videbo etc. (2).* Ita enim Brentius in lib. de majest. Christ. hom. ratiocinatur. Fatentur igitur ipsi, non aliter posse moveri de loco ad locum Christi humanitatem, quam possit moveri Deus.

CAPUT XII.

Refellitur Ubiquitas corporis Christi, quia repugnat Symbolo Apostolico.

Deinde pugnat Ubiquitas cum articulis Symboli, de Christi Conceptione, Nativitate, Morte, Sepultura, Descensu ad inferos, Resurrectione, Ascensione, et Descensu ad iudicium.

Ac primum cum Conceptione: nam Fides habet, in solius Mariae utero fuisse carnem Christi: at secundum Ubiquistas, mox a Conceptione fuit illa caro in uteris omnium mulierum, imo et virorum et proinde illa laus communis est omnibus: *Beatus venter qui te portavit*, Lucæ XI (1). Item Fides docet, Christi corpus post nonum mensem prodixisse ex utero in lucem, et sic vere esse natum: at secundum Ubiquistas, ante nonum mensem, imo primo die Conceptionis fuit extra uterum, et post decimum mensem adhuc erat in utero, imo inde nunquam exiit.

Dicent: exiisse quia localiter erat in utero, et non extra uterum: et postea fuit localiter extra uterum, et non in utero. At contra; quia istud esse localiter nihil videtur esse aliud, quam apparentia quaedam, sicut cum Deus qui est ubique, in certo loco apparet. Nam si vera ab ipsa Conceptione Christi caro fuit præsens omni loco, non potuit vere aliquo proficisci, sed tantum extendi, ut supra diximus, ubi antea non videbatur; Nativitas igitur non fuit vera, sed apparens, ut Manichei dicebant.

Item Fides requirit, ut in morte, Christi corpus et anima separata fuerint, et corpus quidem in sepulchro jacuerit, anima ad infernum descenderit: at secundum Ubiquistas, in sepulchro etiam erat anima cum corpore, et in inferno erat caro cum anima.

Et ne multum laboremus in probando; Auctores Concordiæ in repetitione articuli noni dicunt, se credere, quod post sepulturam Christi tota persona Deus et homo descenderit ad inferos: at certe si homo ad

inferos descendit, non sola anima descendit.

Item Fides tradit, Christi corpus post tres dies a morte rediisse ad vitam, et exiisse de monumento clauso, et intrasse ad discipulos januis clausis, quæ notantur ab Evangelistis tanquam miracula: at secundum Ubiquistas, nunquam exiit Christus de sepulchro, nec intravit ad discipulos, sed manifestavit solum se extra sepulchrum, quamvis ibi manserit invisibiliter: nec mirum ullo modo fuit, quod scribit Joannes de ingressu Christi ad discipulos januis clausis, quandoquidem non vere intravit januis clausis, sed tantum fecit se visibilem in loco, ubi erat invisibiliter: et tamen Brentius urget hæc miracula contra Zwinglianos in lib. de Majest. homin. Christ.; et eadem afferuntur in lib. Concord. pag. 718.

Denique Fides habet, Christum ascendisse in cælum, et inde venturum ad iudicium: at secundum Ubiquistas, nec ascendit, nec descendit.

Respondent ad hoc de ascensione, in articulo Symboli de Ascensione in cælum: nomen cæli accipi figurate, non proprie, et solum significare gloriam, regnum et maiestatem Dei, non autem certum aliquem locum. Et probat Illyricus in lib. de Ascens. Christi. Primo, ex verbis Petri Actor. III. *Quem oportet cælum suscipere* (2): nam si sermo esset de loco, dictum esset: *Quem oportet celo recipi*.

Secundo, probat ex ipso Symbolo: nam quid sit Ascendit in cælum, explicatur per verba sequentia *Sedet ad dexteram Patris*: hæc autem sunt metaphora verba; nec enim Pater habet proprie dexteram, aut sinistram; igitur etiam ascensio in cælum metaphorice accipi debet.

Tertio, si Christus vere ascendisset in cælum hoc corporeum, debuisset permittere, imo imperare discipulis, ut viderent, quomodo ipse ascenderet usque ad summum cælum, et ascendendo perumperet stellas et globos illos cælestes, ut id testari possent toti Mundo, quod tamen non est factum. Et addit, more suo umbras verberans, et tamen triumphans: «Profecto ista est plane invicta demonstratio contra istorum localitatem Christi in celo inclusi.»

Brentius autem in lib. de duab. nat. Christ., et ascens., idem probat. Primo, quia Chris-

tus dicitur supra omnes cælos ascendisse. Ephes. IV. *Ascendit super omnes cælos*. Hebr. IV. *Penetravit cælos*; non ergo, inquit Brentius, hæsit in aliquo. Hebr. VII. *Excelsior cælis factus* (1); non est ergo Christus in celo ut in loco.

Secundo, quia si esset in celo corporeo, deberet esse in polo antarctico; nam debet esse in loco quieto, alioqui valde male se haberet in illa perpetua agitatione: soli autem poli sunt immobiles; ergo debet esse in altero polorum, et in puncto consistere: polus autem antarctici est superior secundum Aristotelem, et arctici est inferior; igitur in antarctico polo Christus locandus est. Et confirmat: quia si in celo corporeo esset, quo se reciperet, quando cælum destructur? Ita nimirum filios tenebrarum juvat ludere, et jocari de mysteriis Christi.

Tertio, probat in alio lib. de Majest. Christ., quia Christus ascendit in cælum illud, ex quo descendit. Jo. III. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de celo etc.* at non descendit de celo corporeo; igitur nec ascendit in cælum corporeum: sed sicut metaphorice dicitur descendisse, quando *exinanivit semetipsum*: ita metaphorice dicitur ascendisse, quando *Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen* (2).

At Catholici credunt, Christum in verum cælum corporeum ascendisse, sive maneat intra ipsum cælum, ut videtur sentire S. Augustinus epist. 57. ad Dard. ubi dicit in fine epist., Christum esse ubique ut Deum, et in aliqua parte cæli propter veri corporis modum: sive maneat supra et extra omnes cælos, ita ut pedibus tangat convexum summi cæli, ut vult B. Thomas in 3. part. quæ. LVII. art. 4. Ista enim non sunt certa, nec necessario cognoscenda; imo etiam monet Augustinus de Fid., et Symb. cap. 6. curiosissimum esse et supervacaneum id quæ- rere.

Illud est certum, Christi corpus nunc esse visibile et palpabile, et tantum spatium occupare, quanta est moles corporis, et esse in celo isto corporeo, sive sit intus, ut aliquis dicitur esse in domo, sive supra, ut aliquis dicitur esse in tecto. Et probatur primo, quia Christus ad illud cælum ascendit, ubi est sedes Dei: illud autem cælum corporeum

est, ut patet ex Psal. CXIII. *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum* (3). Ubi cum opponatur cælum terræ, et terra proprie accipiatur ista corporea quam calcamus; certe et cælum proprie accipi debet. Isa. LXVI. *Cælum mihi sedes, terram autem scabellum pedum meorum*. Item Matth. V. *Non jurare per cælum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus*. Et cap. VI. *Pater noster qui es in cælis*. Et infra: *Fiat voluntas tua sicut in celo, et in terra* (4). Vides ubique cælum dicitur sedes Dei, semper opponi terræ, quam nos habitamus. Quæ antithesis apertissime docet, cælum istud corporeum quod supra nos cernimus, sedem esse Dei, ac proinde ad hoc cælum Christum ascendisse.

Secundo, idem probatur ex historia ascensionis, quæ ita describitur in Scripturis ut non possit ullo modo per tropos everti, nisi quis plane impudens esse velit. Act. I. *Videntibus illis*, inquit Lucas, *elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum* (5). Huc usque non est locus tropis: nam Apostoli viderunt eum euntem usque ad nubes, quæ autem videntur corporea sunt, nisi forte prestigiatorem faciant Christum. Quod autem terminus ac finis illius veri motus non esset nubes, patet Luc. XXIV: *Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cælum* (6). Christum autem vere eo pervenisse, quo ibat, testatur Marcus cap. XVI: *Et Dominus quidem*, inquit, *Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, et sedet a dextris Dei* (7). Itaque narrant Evangelistæ initium, progressum, et finem ascensionis. Initium autem fuit verum ac proprium, non metaphoricum, non phantasticum; igitur et progressus et finis vera ac propria fuerunt; vere igitur ac proprie Christus ascendit in cælum.

Tertio, id probatur ex descensu de celo ad iudicium: nam ad iudicium de eo celo descendet, ad quod ascendit, ut habetur Act. I. *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum*, Matth. XXIV. *Tunc apparebit signum Filii hominis in celo*, I. Thessal. IV. *Ipsè Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de celo*. Et II. Thessal. I. *In revelatione Domini Jesu de celo* (8). At certum est, Dominum non descen-

(1) Eph. IV, 10; Hebr. IV, 14; Ib. VII, 26. — (2) Joan. III, 13; Philipp. II, 9. — (3) Psal. CXIII, 16. — (4) Isai. LXVI, 1; Matth. V, 34; Ibid. VI, 9 et seq. — (5) Act. I, 9. — (6) Luc. XXIV, 51. — (7) Marc. XVI, 19. — (8) Act. I, 11; Matth. XXIV, 30; I. Thessal. IV, 15; II. Thessal. I, 7.

(1) Luc. XI, 27. — (2) Act. III, 21.

surum de cœlo metaphorice, ita ut descendere de cœlo, sit relinquere Gloriam, Regnum, et Majestatem, quin potius tum maxima apparebit in majestate et potestate magna; igitur cœlum unde descendet, non est Regnum et Majestas, sed locus quidam; ergo ad locum etiam quemdam ascendit.

Quarto probatur ex loco Sanctorum. Nam ibi est homo Christus, ubi sunt, et erunt sancti homines. Jo. XIV: *In domo Patris mei mansiones multe sunt, si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum, et si abieco, et preparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis* (1): at Sancti non erunt ubique, sed in certo loco, et si in certo loco, certe in nobilissimo, id est, in cœlo; ergo et Christus homo in eo loco est, et erit.

Denique hæc est sententia omnium Sanctorum et præcipue Augustini epist. 57. ad Dard. ubi eum monet, ut recolat Symbolum, et simpliciter credat, Christum hominem post resurrectionem veram vere ascendisse in cœlum, atque ibi in certo loco nunc esse. Et lib. de Fid. et Symb. cap. 6. scribit, licet Ethnicus mirentur, quomodo corpus Christi in cœlo esse possit; tamen vere ita credendum esse: quod idem docet in lib. de agon. Christ. cap. 25. Nec rationes in contrarium aliquid probant.

Ad primam Illyrici dico: sententiam Petri omnino esse ambiguum tam Græce, quam Latine, sed quocumque modo exponatur, non sequi quod ipse vult. Nam si legamus: *Quem oportet cœlum suscipere* (2), ut sensus sit: *Oportet ut cœlum suscipiat Christum*, ut locus locatum; tunc sententia est pro nobis. Si vero sensus sit: *Oportet ut Christus suscipiat cœlum*; tunc etiam non erit contra nos. Nam ut Christus suscipiat cœlum, non est necesse ut Christus sit diffusus per totum cœlum, sed satis est, ut sit in aliqua parte cœli, sicut dicitur Rex suscipere regnum, vel palatium regale, vel thronum regium, quando incipit esse in regno, vel palatio, vel throno, etiam si non sit præsens re ipsa toti regno, vel throno, vel palatio.

Prima tamen explicatio est magis conveniens textui; nam dicitur: *Quem oportet cœlum suscipere usque ad tempora restitutionis omnium*: ubi non indicatur acceptio possessionis regni, quæ in momento fit, sed mansio in loco, quæ longo tempore durat, et hoc

(1) Joan. XIV, 2 et seq. — (2) Act. III, 21.

modo exponit Cœcumenius. Est etiam conformior aliis locis, quæ dicunt, Christum assumptum, vel elevatum in cœlum, Marci ult. et Act. I., et profectum in cœlum, I Petri III.

Ad secundam rationem: nego idem esse, ascendere in cœlum et sedere ad dexteram Dei; nam in Symbolo non debet aliquid repeti, cum sit brevissimum compendium. Quid autem sit sedere ad dexteram Dei, dicemus postea.

Ad tertiam dico: non fuisse opus, ut Apostoli viderent Christum penetrantem omnes cœlos; nam si non habemus eorum testimonium de hac re, habemus testimonium Angelorum, qui Act. I., aperte indicant, Jesum assumptum in cœlum, et eadem forma descensurum ad iudicium; imo convenientius fuit, ut non viderent finem ascensionis illius; tum ne putarent esse illusionem, quandoquidem naturaliter non potest eo pertingere visus humanus; tum ut Fides etiam in ipsis locum haberet: sicut etiam non viderunt Christum incarnari, nasci, resurgere, imo nec mori, excepto Joanne; et tamen futuri erant prædicatores, et testes primi et præcipui omnium mysteriorum Fidei christianæ.

Ad primam Brentii dico: inde probari sententiam S. Thomæ, videlicet, quod Christi corpus supra sit convexum ultimæ cœli, non autem quod nusquam sit persona conspicua. Quamquam nec sententia S. Thomæ plane convincitur ex illis locis; responderi enim potest, ascendisse Christum super omnes cœlos, et excelsiorem cœlis factum, et penetrasse omnes cœlos, quia est in parte supremæ ultimi cœli, atque ita habet sub pedibus summum cœlum pro maxima parte. Imo locus Hebr. IV, favet sententiæ Augustini; nam Paulus Heb. IV, alludit ad Pontificem Aaronicum, qui penetrabat singulis annis usque ad interiora velaminis, et ipsa Sancta Sanctorum, sed non ultra illa progrediebatur. Ita ergo et Dominus ut celestis Pontifex penetravit usque ad intimum recessum summi cœli, sed non ultra progressus est, nec extra ipsum cœlum mansit.

Ad secundam dico: illa esse verba otiosa Brentii, ne dicam blasphema, cum in jocum converteret mysteria divina. Sed ne et ipsi joci noceant, respondemus: Christi corpus non redigi ad angustias poli antarctici, sed esse

in qua parte voluerit, nec periculum esse agitationis, cum cœlum empyreum quietum ponatur ab omnibus: nec illud sit perituum, licet inferiores cœli sint aliquo modo immutandi. Sed hæc omnia superant modum intelligentiæ hujus vitæ. Sat est cum Augustino lib. ult. Civit. Dei cap. ult., scire, in cœlo habitura corpora gloriosa statum et motum prout voluerint, sed omnino decentem.

Ad tertiam dico: Christum ascendisse in cœlum, ex quo descendit. Porro autem ex vero cœlo descendisse, licet metaphoricus fuerit ipse descensus; nec tamen inde sequi, etiam ascensum debere exponi metaphoricè, si descensus fuit metaphoricus; nam descensus fuit Verbi increati spiritualis et immensis, ascensus fuit carnis corporeæ creatæ, et finitæ.

CAPUT XIII.

Refellit Ubiquitas, quia repugnat præsentie corporis Domini in Eucharistia.

Tertio pugnat Ubiquitas cum ipso Sacramento Eucharistiæ, pro quo stabiliendo est excogitata. Nam si caro Christi est ubique, certe non egemus Eucharistia, et frustra imus ad templum, frustra recitamus verba Cœnæ, frustra paramur ad illam Cœnam, cum domi habeamus in pane et vino, et aliis omnibus cibis corpus Christi.

Lutherus in lib. quod verba Christi: *Hoc est corpus meum* adhuc firma stent, objicit sibi hoc argumentum his verbis: « Si corpus Christi est in omnibus locis, ægedum devorabo, et helluabor ipsum in omnibus hospitibus, et in omnibus scutellis, poculis, cantharis. » Respondet autem sic: « Audi tu porce, canis fanaticæ, aut quisquis fueris insulse asine, etiamsi corpus Christi sit in omnibus locis, non tamen tu statim ipsum vel devorabis, vel helluaberis. » Et infra: « Ablego te in haram tuam porcorum, vel in tuum sterquilium. » Summa responsionis est: licet sit ubique, non tamen posse ubique capi. Exponit exemplum de radiis Solis, qui nos undique attingunt; et tamen si quis velit illos includere in cistam, et secum ferre, non poterit.

At hæc solutio nihil valet. Nam si corpus Christi vere est ubique; non potest separari ab ulla re, et proinde est impossibile, ut habeam panem in mensa, vel in manu, vel in ore, vel in stomacho, et non habeam ibidem corpus Christi. Nec similitudo radiorum valet, quia radii non modo non sunt ubique, sed nec penetrare possunt corpora non transparentia.

Joannes Brentius in lib. de dnab. nat., et Ascens. Christ. respondet paulo aliter, vel potius explicat sententiam Lutheri. Dicit enim, corpus Christi ubique esse personatiter, sed in Cœna esse etiam definitive, id est, ex definitione et decreto Dei per consecrationem, qui modus essendi addit solum efficaciam: nam in Eucharistia sumitur efficaciter, et nusquam alibi.

Hæc solutio aperte includit Calvinismum: nam Brentius cogit dicere, nihil sumi in Cœna, quod non habeatur extra cœnam, nisi efficaciam corporis Christi; et proinde in Cœna non sumi revera corpus Christi, sed solum quandam energiam ejus. Et licet Brentius id non diceret; tamen sequitur evidenter ex Ubiquitate. Nam sicut, quia Deus est ubique, non potest moveri, nec per se, nec per accidens; et ideo nemo comedens panem, dici potest vere comedere Deum, licet in pane sit Deus: nam panem vere comedo, quia panis vere transit de manu ad os, de ore ad stomachum; at Deus non transit, quia simul est in manu, in ore, in stomacho, et ubique: ita etiam, si Christi corpus est ubique, non potest vere cum pane comedi, quia non potest vere transire cum pane de manu ad os, de ore ad stomachum, quia non potest moveri, cum sit ubique; ergo solum in Cœna Christi corpus fit præsens et manducatur per energiam, et non per realem sumptionem.

Vides, quomodo Lutherani et Brentiani, dum Calvinistas oppugnant, illis favent, et tamen Brentius in suo Testamento execratur Sacramentarios, nec patitur ullum locum eius in Ecclesia dari.